

Thomas Lindemann

**Rector Academiae Rostochiensis Thomas Lindeman I.U.D. & Professor. Ad  
Lessum & Funebrem deductionem Quam Matronae ... Margaretae Clingiae,  
eiusdem maritus ... Vir ... Dn. Henricus Stalmeisterus ICtus. Reg. Mai. Daniae  
Consiliarius ... coniugi ... Omnes omnium ordinum cives Academicos officiose &  
peramanter invitat**

Rostochi[i]: Pedanus, 1632

<http://purl.uni-rostock.de/rosdok/ppn74740514X>

Druck    Freier  Zugang



Lindeman, Th.,  
in M. Clinge,  
uxor. H. Stallmeister.  
R. 1632.

18



Universitäts  
Bibliothek  
Rostock

[http://purl.uni-rostock.de  
/rosdok/ppn74740514X/phys\\_0002](http://purl.uni-rostock.de/rosdok/ppn74740514X/phys_0002)

DFG





RECTOR  
Academia Rostochiensis  
THOMAS LINDEMAN  
J. U. D. & Professor.

*Ad*  
Lessum & Funebrem deductionem

*Quam*  
*Matronæ Honissimæ,*

MARGARETA  
CLINGIAE,

ejusdem maritus nunc viduæ  
mœstissimus.

VIR

*Magnificus, Consultissimus, Dr.*  
HENRICUS STALMEISTERUS  
JCtus REG. MAJ. DANIÆ Consiliarius,  
Episcopatus Sueriensis Cancellarius, ejusq; li-  
beri, conjugi, ac Matri suæ desideratissimæ  
adornatas expetunt.

Omnes omnium ordinum cives Academi-  
cos officiose & per amanter invitati.

1520

ROSTOCHI

Typis JOACHIMI PEDANI Acad. Typ.  
ANNO M. DC. XXXII.

18.





RECTOR  
Academiae Rostochiensis  
**THOMAS LINDEMANN**  
J. U. D. & P. P.

**N**ulla calamitas sola; trito proverbio dicitur, & omnis ferme dies testatur. Quos enim sinistrum fatum semel comprehendit, hos aliquandiu premit & urget. Quo alludens Diphilus de Sortis iniquitate ait; Eam pincernas nequiores imitari & cyathos avidè exsiccantibus uno infuso bono, subito tria affundere malia. Empedocles ejusq; asseclæ Genio malo, quem una cum bono, homini cuivis assignatum adserebant, sinistra hujusmodi fata ascribebant. Philosophi alij ex syderum influxionibus, alij numeris Platonicis, dimensionibusq; climaetericis causas infortuniorum deducunt. Poëtæ fortunam & vitam humanañ, partim candidis, partim pullis filis, partim in sublime elatis, partim terræ propinquis suspensam, pro Parcarum arbitrio incidi nullo discriminat, nisi quod altius pendens majore tumultu decidat, jucundè comminiscuntur. Nos quidem Christiani, non casu talia, sed justo Dei judicio evenire qui scimus, æquo animo sortem sinistram obduramus. In eo tamen ex naturæ imbe-

imbecillitate s̄epi asculè turbar i nos diffiteri nequimq; quod in concursu malorum eos vel maximè premi, eorumq; funera densari, qui meliori fortuna imò immortalitate digni reputari debebant, inutilia vero teræ pondera Tithoniam vitam agere cernimus & experimur. Quod & Ethnicus Poëta Homerus deplorat, dum canit;

Tες μὲν ἀπλετούς Αἴγυς, τὰ δὲ ἐλευχίας πάντα λέλειπται  
κεύσας Τρόος γῆς οὐ χρεῖται πάνταν αὔξεσθαι  
Αἴγυων ήδη ἐπιφῶν ἐπιδίμοι αἴρουσκονται.

Sustulit hos Mavors, reliqua asē mala probra relicta.  
Mendaces, saltatores, proniq; choreis  
Ducendis agnis & hædis diripiendis.

Hanc fortunæ iniquitatem, vitæq; fugacitatem, prisci Philosophi hominibus repræsentare satagentes ludum instituerunt in quo primus decurrehtium secundo, secundus tertio & ita deinceps tædas ardentes tradiderunt, & boni malis mixtis exercuerunt, mali plerumq; ultimi in scena substiterunt. Veritatem concursus calamitatū, & iniquissimum mortis delectum hæc ipsa dies nobis ob oculos ponit. Humavimus hei- ri matronam cedro & immortalitate dignam, Sophiam Elisabeth Steinbringfs / Amplissimi Viri Bernhardi Clingij Reipubl. Consulis conjugem mellitissiniam. Hæc in ludo hoc mundano tradidit (tædas funereas affini suæ dulcissimæ Margaretha Clingæ Matronarum decori, imò Phœnici (cui hodiè justa solvimus) eamq; ut in vita sociam fidissimam habuit, ita & in morte Deus comitem subsequam ejusdem esse voluit. Originem & familiam ejus non est ut prolixè delineemus, parentationem illa condignam postulat, quam charta hæcce

non capit, Civitas tota piæ defunctæ virtutes decan-  
tat, nec est nisi improbissimus qui ejus famam Theo-  
nino arrodere dente ausit. Porro quid defunctæ Pa-  
tri, Viro Magnifico Consultissimo Bartholomæ Clingio  
JCTo & Academiæ hujus antecessori celeberrimo,  
Consiliario domus Megapolitanæ per complures an-  
nos meritissimo, prosocero & Collegè meo honorando  
Panegyrin pagina hæc exili adornare tentem? Vir-  
tus ejus jam dum mortem & oblivionem, benemerita  
in provinciam, urbem & Academiam ipsam invi-  
dentiam vicerunt. Quis Matrem Margaretham veram  
matronarum gemmam & nobilissimam Margaritam  
in hac urbe ignoravit? Quis ejusdem pietatem & be-  
neficieniam non laudavit? Non possum silentio præ-  
terire Aviam Agnetam Schmidiam laudatissimam Chri-  
stianæ foeminæ simulachrum, fœcundum Klingiadum  
stirpis in hac Urbē, felicissimo sydere, plantatum semi-  
narium, ut pote quo ex unius filiæ Margaretha auspi-  
catò elocatae radice, 34. nepotes, pronepotes, abnepo-  
tes, neptesq; quotannis se diffundentes, nobilissimi sur-  
culi prodierunt. Quid dicam de Joachimo Kronio, Camera-  
rio avo? Quid de proavo Bernhardo Kronio Consule, Quid  
de Laurent. Schmides itidem proavo Senatore? qui omnes  
Reipub. huj9 commoda gnaviter & viriliter promove-  
runt, cumq; affectum quasi per traducem in Nepotem,  
pro nepotemq; suum Bernhardum Clingium nunc Con-  
sulem meritissimum, omnesq; ejusdem stirpis alias  
propagines, derivarunt. Sorores habuit ~~Margaretha~~  
nostra quatuor, omnes felicissime elocatas; Prima E-  
lisabetha, Viro præstantissimo Bernhardo Hanen socero  
meo honerando & Achari quondam fidissimo: Secun-  
da

da Agneta Viro Consultissimo Bartoldo Kichlero; eoq;  
defuncto, secundis nuptijs Viro itidem Consultissimo  
Dn. Reinboldo von Gehren Doctoribus JCtis eximijs,  
Consiliarijs Ducalibus. Tertia Sophia, Viro Prudentis-  
simo Joachimo Kochio Senatori; Quarta Anna, Viro Magni-  
fico Consultissimo Dn. Theodoro Busio JCto insigni,  
Reg. Maj. Danicæ Consiliario intimo, & provinciali  
per Holsatiam Cancellario meritissimo, Capituli Sles-  
vicensis Archidiacono, Clingiadum columnæ & ful-  
cro ante paucas septimanas præmatura morte concus-  
so, imò convulso, nuptas. Ex hac tam präclarâ stirpe  
~~mane~~ nostra Anno 1587. ipso Resurrectionis Chri-  
stie in hanc lucem edita, statim creatori suo per sa-  
crum lavacrum insita & renata, succrescente ætate piè  
educata, non potuit radici nonj congeneres fructus  
producere; Unde postquam annos nubiles vix attigis-  
set, virtutum innatarum & excultarumvis, & inde con-  
citatus suavis bonæ famæ odor, fragrantiam suam ex-  
serere cœpit, & ad Virum Magnificum Consultissi-  
mum Dn. Henricum Stalmeisterum JCtum & Reg. Maj.  
Danicæ Consiliarium, Episcopatus Suerinensis Can-  
cellarium, tunc temporis, Reipub. hujus Consulem di-  
gnissimum, obitu uxoris, Matronæ lectissimæ Mette  
Müllers viduum, penetravit. Unde is permotus, vir-  
ginem hanc à Parentibus Matrimonio sibi jungi con-  
tendit, & assensu impletato, Anno 1603. 2. Septembris  
eam sibi copulavit. Matrimonium hoc felicissimo o-  
mine conciliatum, proliferum, concors, & suave ultra  
28. Annos & novem Menses continuavit. Ex quo  
duos filios Johannem & Joachimum, quorum hic vix lu-  
cem aspiciens, ad sedes æthereas avocatus, ille vero à  
pueris bonis artibus & linguis accurate imbutus, per-


quadriennium Musis in alijs Academijs sedulò litavit,  
nunc Coloniæ degit, ubi eximia progressus sui speci-  
mina edidit & parenti suo jam senescenti, solatiū ac sci-  
pionē promittit: & filias tres, sustulit quarū natu major  
nupta est Viro præclarissimo Johanni Grothen, patritio,  
ordini nostro faventissimo, ex quo conjugio nepotem  
unum, & neptes duas pie defuncta protuberantes vi-  
dit. Reliquæ duæ Agneta & Sophia virginalium Vir-  
tutum splendore, etiamnum corruscant. Filias hasce  
indulgentissimo quidem sinu ~~mane~~ nostra fove-  
bat, sed cum decenti severitate, ex præcepto Apostoli  
& Senecæ enutriebat, documentis salutaribus efforma-  
bat, Cupidinis arcus ocia excutiens, ad labores isti  
sexui conformes eas adsuefaciebat, honestis moribus  
imbuebat & ad omnem pietatem ac probitatem æmu-  
landam non tam verbis, quam exemplis ijs præibat.  
Unde filiæ hæ in schola pietatis edoctæ, dotes animi  
inæstimabiles sibi compararūt, quarum ductu Matrem  
ceu oculi pupillam veneratæ sunt. Cum Marito Mar-  
garetha nostra adeo concorditer vixit, ut Viriplacæ in-  
gredi templum necessum haud fuerit. Immiscuit ve-  
ro J E H O V A delicijs conjugalibus amaritudines non  
nunquam, ne dulcedine mundanarum rerum cœlestis  
Ambrosiæ desiderium imminueretur. Attamen pie  
defuncta persecutiones, obtrectationes, & calumnias  
forti & constanti pertulit animo, maritum curis obris-  
tum masculè erexit, eidem in laboribus levamen, in  
doloribus lenimen, in angustijs solamen, in morbis me-  
dicamen, exstitit. Innocentiae & bonæ conscientiae  
scuto, omnes lividulorum insultus exceptit, repulit.  
Superatis adversitatib. cum singularem Dei benedi-  
ctionem experiretur, totam vitam ad pietatem preces-  
que

que composuit, Charitatis officia erga proximum enim exercuit, immo inimicos dilexit, pro malis bona retulit, vicinos benevolentia & beneficentia ita sibi devinxit, ut non parietibus sed sanguine juncti viderentur. Quamvis autem vitam temperatissimam & diem strictissimam ageret, tamen ante quadriennium lassitudinem omnium membrorum vel moerore vel Naturae imbecillitate contractam experta est, quae sensim serpens, artus & nervos affecit & in paralysin desicit, cum qua licet totum quadriennium lecto perpetuo affixa conflictaretur, & dolores, tædia, & infinita incommoda perpeti cogeretur, tamen Deo nec vetbo nec nuntu obmurmuravit, sed crucem suam admiranda & laudanda patientia obduravit, subinde vocem hanc ingeminans: Pœnas graviores peccatis meis sum promerita. Ideo calicem Salutaris accipiam & nomen Domini invocabo. Domi, veluti in perpetuo oratorio & templo vixit, cum Hanna dies noctesque precibus vacavit, quas cum saepius in sinum JEHOVÆ effudisset, & exauditionem firma fide & constantia spe animo impresisset, nonnunquam veluti cum alio sermones socians, sibi ipsi respondit: cuius causam à marito rogata, reposuit. Spiritui Sancto, non mihi respondeo, illi omnes meas curas comitto, & me ad beatum ex hac vita exitum paro. Unde cum ipso Epiphanius festo & pauculo ante, præter morem, catharros ad fauces decidere & organon eloquij nonnihil turbari animadverteret, illa minime commota, sed quasi in procinctu constituta, Imperatoris cœlestis jussum sequi & decretoriæ diei legem excipere parata fuit. Philosophi veram sapientiam perpetuam mortis meditationem definiunt, quam Philosophiam Regius Propheta David sibi divinitus

instil

instillari, piè vovet. Hujus Philosophiae beneficio Leontinus Gorgias, Mortem contempfit, & interrogatus, anne mori cuperet respondit: Ex putri domo cum voluptate excedo. | Certè nostra hæc ~~magis~~ <sup>magis</sup> hac Philosophia multos annos imbuta, ejusdem fructu & præmio, placido nimirum ex hac vita in æternam transitu est, potita.

Cum enim vires collabi & ultimum vitæ terminum adventare præsentiseret, illa ad mortis, quæ per se horribilis est, at corpus tantum enecat, aculeos non expavit, sed animam cælesti cibo sanguine & corporis Christi pastam, Christi, meritum ingemiscendo, piè obdormiscendo, 8. Januarij circa horam nonam creatori suo reddidit. Acerbissimus fateor dolor hinc ortus, cor mariti senescentis coquit, angit, & excruciat, quem inclamante in audire mihi videor, ubi nunc domus meæ curatrix? familiæ reætrix? ubi liberorum formatrix? curarum depultrix, fortunarum conservatrix? Certe Indicâ vel Gethicâ lege si vivemus, quâ uno conjugum mortuo, superstes vivo corpore rogo simul imponebatur, eidem viduus hicce libenter pareret. Verum nobis uxores vivas ut amare voluptas, ita mortuas lugere religio & pietas, nimium lugere impotentia, imo dementia est. Conjugem Affinis honorande non amisisti, sed justis vindicijs in libertatem assertam præmisisti, in qua dolor non sentitur, malum non timetur, summum bonum possidetur. Quam felicitatem Charissimæ animalæ minime invidebis. Porro mortuus non esse gratiam denegandam Siracides monet. Gratia vero hæc in honesta confitit sepultura, quam ut exequijs pijs cohonestemus defunctæ pietas & vidui in Rempublicam utramq; bene merita postulant. Cum itaq; hodie homino & rogo Academiæ cives in templo Mariano frequentes convenient & officium quod sibi post mortem dependi desiderant, primo superstites pie præstent, & mortalitatis memoriam refricent. Feliciter namq; quis in alterius funere meditando studium collocat, quo in suo remedium & solatium inveniat. P. P.  
12. Januarij Anno 1632.












Universitäts  
Bibliothek  
Rostock

[http://purl.uni-rostock.de  
/rosdok/ppn74740514X/phys\\_0016](http://purl.uni-rostock.de/rosdok/ppn74740514X/phys_0016)

DFG

que composuit, Charitatis officia ergo  
genum exercuit, imò inimicos dilexit,  
retulit, vicinos benevolentia & beneficium  
vinxit, ut non parietibus sed sanguine  
tur. Quamvis autem vitam temperatam  
strictissimam ageret, tamen ante  
laesitudinem omnium membrorum v.  
Naturæ inbecillitate contractam expe-  
sim serpens, artus & nervos affecit & in-  
cum qua licet totum quadriennium le-  
fixa conflictaretur, & dolores, tædia, &  
moda perpeti cogeretur; tamen Deo ne-  
tu obmurmuravit, sed crucem suam ad-  
danda patientia obduravit, subinde ve-  
minans: Pœnas graviores peccatis me-  
ta. Ideo calice m Salutaris acepit am-  
ni invocabo. Domi, veluti in perp-  
templo vixit, cum H̄na dies noctesq;  
vit, quas cum saepius in sinum JEHOVÆ  
auditionem firma fide & constantia sp-  
fisset, nonnunquam veluti cum alio se-  
fibi ipsi respondit: cuius causam à ma-  
posuit. Spiritui Sancto, non mihi re-  
mnes meas curas comitto, & me ad be-  
exitum paro. Unde cum ipso Epipha-  
lo ante, præter morem, catharros ad fa-  
organon eloquij nonnihil turbari ani-  
minime commota, sed quasi in proc-  
Imperatoris cœlestis jussum sequi & de-  
legem excipere parata fuit. Philosophiam  
perpetuam mortis meditationem  
Philosophiam Regius Propheta Dav.



the scale towards document